

tempore poenitentia egit: et tandem sibi uisus fuerat restitutus. Tunc rex magna cum diligentia sancte scripturam iudaicam iussit referuari.

Vnc disciplinam Mosaycam ut doctissimi iudæorum scripserunt exponam. Philo igitur de iudæorum ab ægypto egressu in primo libro quos de hypotheticis scripsit ubi pro iudæis quasi aduersus eos accusatores his uerbis utitur. Populus inquit iste qui a Chaldæo parte traxit originem a syria in ægyptu translatus post multos anos: quonia multitudinem eorum ægyptus non capiebat & magnitudine animorum: ac simul quia somniis ac uisionibus exitus ei diuinitus significabatur magno pere in eam terram unde maiores sui ægyptum profecti fuerat redire cupierunt. Quo facto adeo creuerunt ut ad hæc usque tempora iudæorum genus durauerit. Et paulo post ducebat autem eos uir unus quem si uis nihilo prestantiore cæteris putato. Petunt enim multi eum obprobriis arte quadam malefica & lenocinio uerborum omnia illi confecta fuisse dicentes. Sit sane: sed artificium tanquam illud maleficum & uersutia hominis non modo uniuersum populum a siti fame cæterisque periculis quæ quotidie locorum asperitate & solitudine accidebant liberauit ac uelut in copia rerum omnium aluit: uerum etiam longe ab omni seditioe & sibi obtemperantes obtinuit. Nec breui tempore ista sed tanto seruata sunt: quanto nec domus una in pace atque concordia conseruari facile potest. Itaque non sitis non fames non calamitas aliqua non futurorum formido non ignoratio euentorum aduersus maleficum illum uirum seductos populos incitauit. Quam igitur uis artem aut uerborum lenocinia aut prudentiam aduersus tot tanquam accidentia quotidie mala suffecisse? Aut enim subditus illi populus natura obtemperans: humilis: & peritia futurorum munitus libenter eum sequebatur: aut si illi mala fuerant deus dura omnia eis mitigabat: & tam præsentium quam futurorum notitia Moyse cedere effecit ut tandem ab omni periculo populus suus euaserit. Vtrum enim istorum cecideris magna laude Moysen certe affeceris. Posteaque in terram istam uenerunt & si quo pacto eam consecuti sunt diuinæ litteræ significant: malo tanquam ego probabili coniectura que ueritate historica uti? Vtrum enim quisquam uoluerit ipse cedere aut multitudine aut armorum peritia syrios & phœnices patriæ propugnantes uicisse: aut uis quidem nihil fecisse: sed a dantibus sponte regione accepisse: ac non multo post pie & sancte uiuendi omnem disciplinam constituisse. Alterum enim fortissimos eos uiros: alterum a deo sic amatos significat: ut etiam inimicis suis uenerabiles uideretur: quippe hostes atque inimici erat eorum a quibus regionem ubi & ipsi maiores sui nati